

rio \* affecit. Quare tam Rex quam Pontifex à pluri-  
 bus eorum ad divinum Tribunal citatus est. Quorum  
 unus Neapolitanus in urbe Burdigala ad ignem jam  
 adhibendus, conspectis in fenestra Clemente & Philip-  
 po altam ad ipsos vocem sustulit: *Sævissime Clemens*  
*Tyranne, posteaquam inter mortales nullus jam, ad*  
*quem appellem, superest locus, pro gravi morte, quã per*  
*tuam injuriam occumbo, ad justum Iudicem Christũ,*  
*meum appello redemptorem, antè cujus Tribunal Te*  
*voco, unã cum Philippo isto, ut intrã annum illic com-*  
*pareatis, ubi causam exponã meam, & justissimo pro-*  
*babo Iudici. Videtur & hæc valuisse appellatio. Nam*  
*nõ multò post, quasi ad vadimoniũ obeundum ex hãc*  
*vità discessit Clemens, quem intervallo non longo Phi-*  
*lippus quoq; eò, undè negant redire quenquã, secutus est.*

\* Guaguin.  
 lib. 7. cap. 5.  
 hist. Franc.  
 Item Annal.  
 de Burgoi-  
 gne de Guil-  
 laume Para-  
 din. lib. 2. f.  
 301. Cam-  
 pofulgos. lib  
 1. Papir. Mas-  
 son. Paul.  
 Æmyl. lib. 8.  
 de Reb. ge-  
 stis Franc.

Verum eundem Clementem diversimodè citatum  
 in hoc jus ambulasse referunt. Nam & Gualtherus  
 Burgenfis, vir doctrina clarus & sanctimonia, jam-  
 ante per injuriam pulsus Episcopatu Pietaviensi ab Cle-  
 mente, quamdiu vixit, patientèr de decus pertulit, mo-  
 riens sepulchro jussit inscribi: (idquè ut Del-Rio opina-  
 tur, Exemplo aliorum) Ad justum DEI judicium  
 appello. Quod Elogium Clemens quoque legisse, &  
 tum injurie Burgenfi illate memoria, tum templarij  
 provocatione territus obuisse dicitur.

4 Exemplũ.  
 Raphael Vo-  
 laterran. an-  
 thropolog.  
 l. 21. Del Rio  
 disquisit.  
 Magic. tom  
 2. lib. 4. c. 4.  
 quæst. 4.  
 Sect. 1

Mirum porro quod formula hujus citationis non

B unina-